Q. D. B. V.

DISSERTATIO MATHEMATICO-MEDICA,

exhibens

QVOSDAM VISVS IMMINVTI AFFECTVS,

QVAM

AVXILIANTE DEO

Sub PRÆSIDIO

VIRI *Nobiliſſimi, Excellentiſſimi atque Experientiſſimi*

DN. JOH. VALENTINI SCHEIDII,

Med. D & Prof. ejuſdem Facultatis Senioris, Argentoratenſium Archiatri, & Colleg. Thom. Præpoſiti Venerandi,

SOLENNI Eruditorum Examini

ſubjicit

JOH. CONRADVS HENNINGER, Argent. AVCTOR.

D. XII. *Martij M. DCC. XX.*

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS PASTORII.

ILLVSTRI
LEGATI SCHENCK-BECHERIANI
PRÆFECTORVM COLLEGIO,

VIRIS

NOBILISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, MAXIME REVERENDO, CONSVLTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMIS,

Mæcenatibus, Patronis & Evergetis Gratioſiſſimis,

HAS QVALESCVNQVE PAGELLAS

devota & humillima mente conſecrat

TANTORVM NOMINVM

devinctiſſimus cliens

JOH. CONRADUS HENNINGER, Argent.

PRÆFATIO.

Dubitanti, quid in tam ambitioſo calamorum pruritu novitatisque amante ævo, quale, inquam, pro ſpecimine Academico eligendum mihi ſit thema; in mentem incidit aureum illud monitum: debere Medicum, quæcunque in aliis ſcientiis egregia invenit, ad artis ſuæ accommodare utilitatem. Sic ego, cum aliquot abhinc annis, aliquam, levem licet, ſcientiæ Mathematicæ, & hanc inter, Opticæ præcipue ejus parti operam impenderim, animo non præcipiti ad ejuſmodi thema, quod utilitatem ex amico Medicinæ cum Matheſi connubio reſultantem monſtrare poſſet, tractus fui: ſed, tum materiæ controverſia-

rum fœcundæ gravitas, tum inconcinna illorum turba, qui ingenioſas ejuſmodi ſcientias in Medico æque ac Medicina averſantur, ne dicam vituperant, & non niſi pro inanibus contemplationibus ſpeculationibusque ad Praxin non deſtinatis habentes, tanquam plane inutiles faſtidioſo ſane ſupercilio reſpuunt; hæ inquam, rationes hæſitantem iterum me reddere aptæ natæ fuiſſent, niſi dum in ea fuiſſem cunctatione in Excellentiſſimi DN. Præſidis, Viri, ſicuti variâ eruditione, ita inprimis Matheſi, excultiſſimi, abſolutiſſimam, quam de Viſu vitiato conſcripſit exercitationem incidiſſem, cujus ad exemplum, ſi aptare magnis inferiora licet, has de Viſu pagellas, rudi etſi penicillo delineare auſus ſum. Si vero nonnulla ob rationis veræ in quibuſdam Phænomenis abſtruſionem allucinatus forte fuerim ut mihi ignoſcas Benevole Lector, ſubnixe rogito, me namque, ſi meliora monſtraveris, quam lubentiſſime inſequentem habebis.

§. I.

§. I.

SIcuti univerſa Matheſeos ſcientia, inſignem arti Medicæ accendit facem, ita Optica præcipue ejus pars, utilitate in artem Apollineam præ reliquis emicat. Sine ejus namque luce admodum hebete inſtructi ſumus viſu ad perſpicienda oculorum vitia, & abſque illius face non niſi cœcutientes oberrare cogimur, ſi illis ſuccurrere velimus. Ex jucundiſſimæ etiam hujus ſcientiæ ignorantia factum eſt, ut per longas cœcasque ambages, & incertas fallacesque conjecturas multi, qui de re Medica aliquid literarum monumentis conſignarunt, Auctores, tum naturalis, tum depravati viſus cauſas ac rationes, ſi non omnino falſe, ſaltem minus accurate explicaverint. Etſi vero hiſce illud dixiſſe non velim, ac ſi ad praxin Medicam exercendam neceſſariò Mathematices exigeretur notitia, attamen, ſi illam Medico ſumme utilem pronunciaverim, nefas eo feciſſe, nemo facile ogganiet, niſi ejus expers, ſicut alias dicitur: Arti non eſſe oſorem niſi ignorantem.

§. II.

A viſum toties loquente, deſiderabis forte etiam aliquam organi illius deſcriptionem. Dabo tibi, talem vero, quæ inſtituto meo ſufficere poteſt; ſin vero ampliorem expetas, Anatomicos adi & habebis quod quæris. Subjectum itaque ſive organon viſus communiſſime imò ſemper ſunt oculi, dico communiſſime, quia aliquando

quando quendam per naſi ductum objecta viſibilia dignoviſſe, Author eſt Felix Platerus, & Henric. Smetius, qui monſtrum illud ipſe vidit. Accurate tamen omnibus perſpectis circumſtantiis, difficile non eſt demonſtratu, portentoſum hunc viſum, non ſecus ac ordinarium per oculos contigiſſe, & ſi vel maxime per naſum hunc vidiſſe, dicere cuidam placuerit, aliter intelligi illud non debet, quam ſicuti quendam per tubum videre dicimus, cum tamen hic ad viſum alio modo non concurrat, quam ut radiis ſolummodo tranſitum largiatur. Manet itaque oculus unicum & verum viſus organon, cujus ſtructurâ nihil admirabilius, & uſu nihil divinius eſſe, ſummo ſemper conſenſu ſapientes naturæ conſulti judicarunt: elegans hanc in rem in J. C. Scaligero eſt locus in Exercitat. de ſubtil. ad Cardan. exerc. 197. 2. *Ergo datus viſus eſt*, inquit ille, *neque ſolùm, neque primum: ut tela, ruinas, foveas vitemus, fugiamus, caveamus: ſed etiam, idque præſtantiore fine, ut aſpectu Cœli, ſpecie recepta, intellectu aucto, homo Optimi maximi Opificis ſui fiat ſimilis. Sed hæc* ὡς ἐν παρόδῳ. Sunt autem oculi duo corpora globoſa, conflata ex humoribus, membranis, vaſis, muſculis, aliisque partibus, ſiti in altiori & antica capitis parte, objectorum externorum viſibilium ſpeciebus excipiendis deſtinati: ſeu brevius æque ac apte dici poteſt, oculum nihil aliud eſſe, quam Cameram quaſi quandam obſcuram naturalem, ſicut è contrario illam haud minus appoſite oculum artificialem appellaveris.

§. III.

§. III.

Non abs re erit, puto, ſi quandam etiam Cameræ obſcuræ, cum ſæpius ejus mentio fiat, deſcriptionem hic inſeram. Eſt illa conclave quoddam obſcurum, uno tamen loco foramine inſtructum, (cui melioris effectus gratiâ, lens vitrea convexa accommodari poteſt;) quod radiis ab ojectis externis viſibilibus advenientibus tranſitum præbet, ut ſpecies illorum in mappa, foramini in certa diſtantia obverſa, depingi poſſint, & mehercle! ita depingi, ut vel omne Apellis opus longe ſuperare dixeris, præſertim cum picturam mirabilem mirabilior adhuc motus concomitetur. Hæc eſt ſuccincta admirandi illius & Naturæ & artis operis deſcriptio, cujus inventor Joannes Baptiſta Porta à nonnullis eſſe putatur.

§. IV.

Ordinis ratio nunc poſtulat, ut, quomodo viſus naturaliter fiat, explicem. Quam falſam veteres hac de re foverint ſententiam, norunt vel mediocriter in eorum ſcriptis exercitati, radij namque ex oculis ad objecta exeuntes, leviter etiam libros illorum inſpicientem, feriunt: etſi hoc de omnibus intellectum non velim, nam vel ipſe Plato aliter jam ſuo tempore ſenſit, qui tamen falſo ab iſtis radiorum emiſſoribus ſententiæ huic præfigitur: de quo vide ſupra jam laudatum J. C. Scaliger. exerc. 325. 5. Facilius & clarius viſionis verum modum explicare tibi non potero, quam ſi mecum cameram ante dictam

obſcuram ingrediaris, analogiam enim, quam hæc cum oculo habet, facile agnoſces; nam quod in hac foraminis nomen habet, in oculo eſt pupilla: quod ibi foramini aptata lens vitrea, hic cryſtallinus eſt humor: quod denique illic eſt paries vel mappa, hic tunica retina vocatur, & ſic idem apparatus hîc ex natura, ac in clauſo conclavi ex arte: operoſiorem tamen eum prudentiſſima fecit natura, additis tot ad exactiorem repræſentationem humoribus.

§. V.

De vera viſus ratione accurate præ aliis egit Mathematicorum ille facile Princeps; Illuſtrem Joannem Keplerum loquor, in ſuis Paralipomenis ad Vitellionem: poſt hunc vero palmam aliis facile præripit Vopiſcus Fortunatus Plempius in oculatiſſima, quam de oculis conſcripſit, tractatione, quem etiam in hac explicatione me inſecutum eſſe fateor. Suppono itaque primò, à qualibet parte rei viſibilis, in quamlibet medij diaphani partem ſpecierum ſemper fieri ejaculationem, idque in momento. Secundò, quemvis horum radiorum facultatem habere, imaginem puncti, ex quo exivit, repræſentandi, cæteris nimirum paribus. His jam præmiſſis, modum viſionis ſubjungo. Radius, ab objecto viſibili externo emiſſus, oculum per foramen uveæ, quod pupillam vocant, intrat; ibique per humorem aqueum ad perpendiculum parum reflexus cryſtallinum tranſit humorem, & poſtquam in vitreo à perpendiculo iterum deflexiſſet, imaginem

nem ſui tunicæ retinæ imprimit : quæ deinde impreſſio animæ per nervos opticos communicatur; & ſic denique de externis viſibilibus nobis judicare conceſſum eſt.

§. VI.

Quod in hac ſpecierum in oculo facta repræſentatione, imagines æque, ac in obſcura Camera contingit, depingantur inverſæ, certiſſimum eſt; cum & ratio, & quæ ratione potior eſt, experientia illud confirmet : quicquid alij, ut hanc inverſionem evitent, vel de planitie cryſtallini, vel de refractione in cornea facta, vel neſcio quid fictitium obmurmurent, quibus figuras erigere ſtudent. Cur vero à nobis non inverſo, ſed erecto ſitu percipiantur citò quæritur, tardius demonſtratur. Multi equidem hac in re plurimum deſudarunt, ſed forte fruſtra. Quid nonnulli ſenſerint, recenſebo : quidam, cum figuras delineari inverſas agnoverint, ad judicium noſtrum refugerunt, quo corrigi depravatam picturam ſibi imaginabantur : ſed his objicio animalia bruta. Alij rem plane ſe detegiſſe autumant, qui, radium è loco ſublimi advenientem, præter figuræ, etiam originis ſuæ, ideam unà nobis imprimere, tradunt. His ſubjungo Plempium, qui cum aliorum rejeciſſet opinionem, ſuam tandem, ut putat, meliorem ſubnectit ſententiam, cujus verba hîc allegare placuit : *Quamquam*, inquit ille, *objectorum pictura in retiformi tunica repræſentata nobis ex adverſo eam videre viſis, tota & cernatur & judicetur everſa: facultas tamen cognoſcens, ſeu ſenſus communis*

non

non ita apprehendit; ratio eſt: quia facultas hæc verſus cerebrum ſedem obtinens, non habet ſibi picturam illam adverſam; nam cavum retinæ introrſum in caput vergit, & retro cavum illud facultas ſita eſt: unde eo ferè modo concipe facultatem ſentientem picturas in oculo dignoſcere, quo nos in clauſa camera imagines perciperemus retro chartam ſtantes, & deſuper in eam deſpicientes: ſic enim omnia eâ figurâ ſituque, quo foris verè ſunt, cognoſcerentur. An vero celebris hic Vir plus reliquis præſtiterit, aliis judicandum relinquo: tibi ſi harum aliqua ſententiarum arridet, amplectere illam, mihi nulla ſufficiens eſt. Sed à me forte dilucidiorem jam expectas explicationem? Non tibi nunc diſſolvam debitum: ſed bona fide interea pignori tibi relinquam, ingenui, candidique animi verbum hoc: Neſcio. ut cum Philoſophorum ſubtiliſſimo Scaligero loquar. Exercit. de ſubtil. ad Cardan. 344. 8. Curioſum æque ac rarum eſt, exemplum Medici cujuſdam Dreſdenſis, qui ex forti oculorum ſuperiora verſus converſione, ita ſibi viſum corrupit, ut quævis poſtea objecta inverſa conſpiceret, & homines in platea capite incedere ipſi viderentur. teſte Sennerto lib. 1. prax. part. 3.

§. VII.

Mitto jam naturalem viſionis modum, non quidem, ac ſi non plura ejus, quæ explicatione egerent, phænomena darentur, ſed ne ſcopum Medicinæ, quam profiteor, primarium deſerere videar: de illis itaque viſus imminuti, quæ maxime familiares ſunt, ſpeciebus, agere potiſſimum

mum conſtitui. Quinque utplurimum viſus imminuti recenſentur ſpecies: ἀμαύρωσις, ἀχλυώδης ὄψις, ἀμβλυωπία, μυωπία & νυκταλωπία. Ego vero non niſi de Myopia, & quæ à nonnullis, male fortaſſis, ſub hac comprehenditur, Antimyopiâ me acturum ſpondeo. Harum quippe natura ab opinione Veterum adeo eſt aliena, ac omnis illorum, pharmacis tentata, curatio fruſtranea. Reliquos tum imminuti, tum depravati viſus affectus, ſi enucleatos legere aveas, ſupra laudatam elegantiſſimam Exc. Dn. Præſidis exercitationem de viſu vitiato evolve, & quod deſiderare adhuc poſſes, non habebis.

§. VIII.

Myopia itaque ejuſmodi eſt oculorum vitium, ob quod illo affecti (quos Myopes vel luſcioſos vocant) objecta ſolummodo propinquiora accurate videre poſſunt, remotiora vero vel non, vel non niſi confuſe conſpicere queunt: eſtque vel congenitum, vel acquiſitum; utrumque ex mala conformatione ortum. Mirari hic licet Veteres; nuſquam enim illi ſunt diſertiores, nuſquam magis ſibi conſentientes, quam in recenſendis affectibus, viſioni, ex ſpirituum, ut illi loquuntur, vitio, oborientibus: nunc adducunt eorum impuritatem, mox accuſant craſſitiem, tenuitatem, paucitatem: imò tandem, ſi Diis placet, multitudinem quoque eorum ac copiam nobis obtrudere conantur. Valet de his illud Poëtæ:

Huic veræ ut lateant cauſæ, finguntur inanes.

Sic Myopes paucis, Presbytas vero copioſis gaudere ſpiritibus fingunt: Nyctalopiam quoque, ut & alias in viſu depravationes, non ex alio, quam ſpirituum quodam vitio oriri, ſibi perſuadent. Sententiam vero hanc eſſe falſiſſimam, rationes habeo, quæ non perſuadent, ſed cogunt; imò vel ſolum illud, quod à viſus hujus imminuti emendatione petitur, argumentum, omnem iſtam ſpiritus accuſantem ſententiam deſtruere, valens eſt. Nam quomodo, quæſo, lentes vitreæ, ſive concavæ illæ fuerint, ſive convexæ, Myopibus & Presbytis opitulari poſſent, ſi illorum in oculis vitia à ſpiritibus dependerent, quippe qui neque augeri, neque minui, neve alterari ab ullo vitro poſſunt. Sublevari tamen debilem viſum ab adminiculo vitreo, cum veriſſimum æque ac omnibus notum ſit, alia vitij hujus quærenda eſt cauſa, quæ vero illis Medicis inventu difficilis foret, quorum ars nullam unquam cum Dioptricis fecit mixturam.

§. IX.

Cauſa itaque Myopiæ eſt, humoris cryſtallini vel juſto major convexitas, vel ejus debito longior à tunica retina diſtantia. Veriſſimam eſſe hanc aſſertionem, evidentius tibi demonſtrare haud potero, quam per admirabilem illam Naturæ & artis conſpirationem, muſeum tenebricoſum loquor: in quo experiri quotidie licet, quod, quo convexior lens ſit, ſeu quo minoris

noris

noris circuli ſegmentum exiſtat vitrum, quod adhibetur, eò propiùs quoque paries albus lenti admoveri debeat, ſi nimirum accuratiorem rerum delineationem exhibere velimus. Obſervamus præterea, quod uno eodemque lentis, & mappæ ſervato ſitu, impoſſibile ſit, objecta quævis, tam remotiora, quam propinquiora, ſimul diſtincte picta alicui oſtendere, ſed eorundem ſitum ſemper pro varietate, & diſtantia objectorum eſſe variandum, ita ut, ſi remota diſtincte velis videre delineata, parietem lenti appropinquare, ſi vero vicina clarius intueri optes, eundem longius amovere opus habeas. Pari ratione rem in oculo ſeſe habere, non niſi exoculati negare queunt, niſi tamen & oculatis pertinacia mentem ademerit. Si enim cryſtallinus ordinariam convexitatem ſuperat, & à retiformi tunica longius diſtat, fieri nequit, ut tam remota, quam propinqua diſtincte intueri poſſimus, ſed talis eorundem conformatio, non niſi vicinioribus conſpiciendis apta eſt; cum itaque ad remotiora accurate conſpicienda, vel minor cryſtallini convexitas, vel major ejus cum retina vicinia requiratur, ſapientiſſima omniumque rerum provida Natura, motricem illis partibus facultatem, beneficio ligamenti & proceſſuum ciliarium, conceſſit, ut diverſo objectorum ſitui accommodare ſeſe poſſint.

§ X.

Ex ſupra dictis neceſſario ſequitur, illos, quibus omnia diſtincte videre conceſſum eſt, cryſtallino gaudere optime mobili, & quibus è contrario

trario motus hic deficit, etſi oculum habeant cæ- tera ſanum, vel Myopes eſſe, vel vel Presbytas. Privantur vero hac mobilitate, vel ab ipſa ſtatim nativitate, vel demum ex vitæ genere. Sic, qui continuo inter parietes degunt, diesque noctesque ſtudiis traducunt, vel etiam, qui operam ſuam in pingendo, & aliis artificiis ſubtilibus collocant, oculum ſolis vicinioribus conſpiciendis aſſuefacientes, ita in eo ſitu firmant, ut poſtea ad remotiora percipienda ille reddatur ineptior. Habent tamen illud privilegij hi luſcioſi, ut ad longam uſque ſenectutem, & legere & ſcribere abſque conſpiciliorum ope poſſint; cum tamen è contrario illi, qui otioſæ obambulationi juventutem ſacrificarunt, plerumque primo ſenio & ante interdum perſpicillis uti cogantur. Joh. Mich. Conradi, nimium tamen, in nonnullos invectus eſſe, mihi videtur, cum in hæc verba eruperit in inſtruct. ad Optic. Gewiß iſt es / daß die jenigen Gelehrten / bey welchen die partes oculi vollkommlich proportionirt geweſen / ſo im Alter convexe Brillen brauchen / in der Jugend die Zeit mehr mit ſpaziergehen und andern Dingen / als mit Bůchern zugebracht haben. Quod ego affirmare non auderem. In illo quoque præ Presbytis felices ſunt Myopes, quod quo magis ſeneſcant, eo longius viſum protendant, idque eâ ex ratione, quod, cum totum corpus, adeoque etiam oculi humores ex parte conſumantur, & conſequenter partes oculi arctius coëant, fieri aliter non poſſit, quam ut retina & cryſtallinus ſibi invicem magis appropinquentur, ſicque

que remotioribus diſtinctius depingendis, aptior reddatur oculus.

§. XI.

Contrario Myopibus affectu Presbytæ laborant: hi namque, remotiora facilius, vicinora vero ægrius dignoſcere valent. Appellatur hic affectus à nonnullis, ſenum viſus, quia illis potiſſimum familiaris eſt. Sicuti affectus, ita & cauſa præcedenti è diametro eſt oppoſita: nam hi, cryſtallinum, & planiorem, & retinæ viciniorem habent; quæ diſpoſitio, ſi motus deficiat, non niſi diſſitorum objectorum ſpeciebus exacte depingendis, apta eſt. Demonſtrari hoc, duce experientiâ facile poteſt, ſi enim in cubiculo noſtro opaco, paries lenti propinquior exiſtat, tum objecta longius diſſita optime, propiora vero non niſi confuſe delineari agnoſces.

§. XII.

Medela imminuti hujus viſus, non tam è libris Medicis, quam potius Opticis addiſci poteſt; ſiquidem veteres artis Apollineæ Proceres, malo huic ſuccurrere, judicabant impoſſibile. Et ſane eſſet, fateor, impoſſibilis ejus medela, & fruſtranea, ſi pharmacis illam, ſelectiſſimis etiam alias ophthalmicis, perficere cogitares. His itaque, cum Medicina opem ferre recuſet, vitreum quærendum eſt auxilium, perſpicilla puto, utpote quorum effectus, celeritate ſua, omnium medicamentorum operationem facile ſuperat, quia momento citius viſum corrigunt, reſtituunt, augent.

Notandum tamen, non omnibus eadem prodeſſe conſpicilia, ſed pro Myopibus concava, pro Presbytis vero convexa eſſe eligenda; Utraque vero, oculi cujusvis ſpeciali ſtructuræ, proportionata ſint, neceſſe eſt; ita nempe, ut pro rei exigentia, vel majoris, vel etiam minoris circuli ſegmentum conſtituant. Quæ vero ſpecialiter unicuique, vel concavitas, vel convexitas maxime conducat, facillime per ſucceſſivam variæ elaborationis vitrorum oculis admotionem, experiri quilibet poteſt; prout enim retinam quis habet, vel magis, vel minus remotam, aut humorem cryſtallinum magis, vel minus convexum, conſpicilia, vel majoris, vel minoris ſphæræ, ipſi ſunt convenientiora. Effectus itaque cum ſit certiſſimus, non incongruum erit, modum agendi pauciſſimis ſuperaddere. Certum primo eſt, radios ab objectis viſibilibus advenientes, pro vario horum ſitu eſſe, vel magis divergentes, vel magis parallelos: hos à remotioribus, illos vero à vicinioribus eſſe emiſſos. Porro experientia teſtis eſt, advenientes ab objectis remotioribus radios, propius (quia magis paralleli ſunt) in conum coire, & ſic per conſequens, retinam requirere propiorem, ſicuti è contrario viciniora objecta, diſtantem magis poſtulant hanc tunicam, ſi accurate in illa depingi debeant. Ex his facile concluditur, fieri non poſſe exactam rerum delineationem in oculo, niſi in loco concurſus radiorum, ſeu coitionis puncto. Jam, ſi ex ſupra dictis notum eſt, quod Myopes retina diſtantiore gaudeant, facile quis animadvertere poterit, cur hi non niſi con-

fuſam

ſuſam percipere poſſint remotiorum picturam; tales nempe radij in punctum jam coëunt, antequam retinam attingant; prohiberi tamen hic radiorum concurſus poteſt, ſi radij per concava, & artificioſe elaborata vitra oculos ingredi cogantur, hæc enim ob figuram ſuam, concurſum illorum elongantes, punctum collectionis eo uſque extendunt, donec retinam attingant, & ſic demum ab illis exactior remotiorum repræſentatio procuretur.]

§. XIII.

In Presbytarum vero oculis, radij objectorum propinquorum in retina diſtincte depingi ideo non poſſunt, quia hæc nimis cryſtallino eſt propinqua, cum tamen, quod magis divergentes ſint illi, majus pro concurſu interſtitium requirant. Hinc meritò hos convexis uti jubemus vitris, quia humoris cryſtallini convexitas ſic quaſi augetur, (eo fere modo ſicuti alias duo ſæpe convexa, proxime ſibi invicem, pro duplicando effectu, jungimus) & hoc modo ex propinquo quoque advenientes radij, citius, pro retinæ in his exigentia, ad concurſum coguntur. Si de proprio quoque aliquid adjicere licet viſu, plane ſingulari illo ego, inſtructum me eſſe, fateor, utroque enim vitiati viſus genere laboro, cum dextro oculo Myopiâ, ſiniſtro vero contrario affectu afficiar: hinc ſi aliquando, conſpiciliis, quod tamen haud ſpero, uti cogerer, ejusmodi ſpeciem mihi conficerem, quæ utriuſque oculi conformationi ſpeciatim proportionata eſt

ta eſſet, ita, ut alterum vitrorum convexum, alterum vero concavum exiſteret. Illud tandem de luſcioſis addere, oblitus ferè fuiſſem, quod Practicorum nonnulli, non inepte quidem, ſuadeant illis, ut, ſi curru vehantur, ſedeant facie averſa ab equis, non vero converſa. Rationem ex ſupra dictis facile eruet, qui catus eſt.

§. XIV.

Adhortandi quoque ſeriò ſunt Myopes, ne, quod illis valde familiare eſt, minutiores ſcribere literas conſueſcant, quia ſic Myopiam ſuam augentes, ſemper magis magisque curtum ſibi reddunt viſum: eò itaque intenti ſint, ſuadeo, ut majores pingere literas addiſcant, faciemque, quousque poſſibile eſt, amovere ſtudeant. De Pharmacorum utilitate, hoc denique, ſi placet, adde: quod Euphraſiæ herba vino infuſa, vel etiam ejus pulvis, cum vitello ovi aſſumtus, tanquam ſpecificum optimi effectus, ad viſum non modo roborandum, ſed & reſtaurandum, à nonnullis laudetur, quos inter legi meretur Arnaldus Villanovanus, *de Vinis. p. m. 592.* Qui, vini Eufragiati uſu oculos ſenum rejuveneſcere tradit, & ad viſum confortandum, medicamentum hoc ſibi ſimile non habere, nobis perhibet. Cui ex parte etiam aſſentiri ideo cogor, quia experientiâ & annis gravis Exc: Dn. Præſes, quod ſcribere abſque conſpiciliorum ope, in hoc ætatis ſuæ faſtigio poſſit, ſe unice infuſi hujus viribus debere, mihi commendavit; cujus propterea uſum 20. & ultra abhinc annis inchoatum, ad-

huc

hucdum continuat, citra quam quod ad modum à Villanovano præſcriptum, muſto herbam infundi curaverit, cum non niſi vino albo illam per noctem injicere conſuetus ſit. Hoc tamen medicamentum, in illa potiſſimum viſus debilitate locum habere, arbitror, quæ humorum quandam obſcuritatem cauſam agnoſcit, nam quod Myopibus & Presbytis valde conducere poſſit Euphraſia, perſuaderi facile non poſſum. Et hæ de viſu debili, debiliori adhuc mentis acie conſcriptæ pagellæ ſufficiant; ſi quædam inutilia illis eſſe interſperſa, nonnulla vero neceſſaria advertas omiſſa, illa rejicere, hæc vero ſuperaddere velis, amice rogito.

F I N I S.

* * *

DE vitiis viſus dum diſſeris ore diſerto,
Reſpondens, multo nomine chare mihi;
In mentem revocas ſtudium, cui deditus olim
Præ reliquis dulci ſæpe labore fui.
Idque Matheſis erat, Medicum problemata quæ me
De viſus vitiis ſcribere, tunc pepulit.
Gratulor inde mihi, juvenis quod quæ ſtatuebam,
Defendam Præſes nunc, & in arte ſenex.

Non

Non minus atque Tibi ſtudium illud cum Medicina
Junctum per præſens gratulor hoc ſpecimen;
Et precor, ut ſummis, dignisque labore brabeiis
Artis Pæoniæ Te quoque Apollo beet.

Nobiliſſimo DN. RESPONDENTI
gratulabundus ſcribebat

PRÆSES.

SAt cito verba facis, quæſo, ſi ſat bene dicta,
Nota Catonis vox, mens eademque mihi:
Tempore enim longo creſcit dum fructibus arbor
Tecta manusque replet; nec tibi ſero nimis.
Sic & dum ingenij fructus cum fœnore reddis,
Sat cito tu Medicus, ſat bene Doctor eris.

Hæc
Nobiliſſ. DN. RESPONDENTI
amico ſuo ſuaviſſimo applaudens
ſcripſit

Joh. Daniel Reiſseiſen,
Med. C.